

VVITEBERGENSIS. I

Sciant auditores nostri mandatum Dei esse, vt quædam corporis partes, quas Deus voluit abditas, & ab oculis remotas esse, honestè tegantur, & omnibus æstatibus in consuetudine ciuii homines honestos approbasse longum vestitum, & iudicasse pudoris & modestiæ significationem esse. Nec enim mulieres tantum, vt Herodotus inquit, sed etiam adolescentes deposita veste, pudorem deponunt. Ideò præcipimus, vt adolescentes veste demissa infra genua vtantur, eaq; in re & pudorem tueantur, qui Deo & castis Angelis placet, & discant honestorum hominum oculos & iudicia vereri.

SEPTIMA.

ET quoniam ad honesta officia communis vitæ hoc quoq; pertinet, vt vocati ad publicarum nuptiarum ceremonias, eò conueniant, & suas preces cum cæteris coniungant, ac petant, vt Deus Ecclesiam, politias, & Oeconomias seruet, Cùm postea iuuentuti concedantur conuiuia & choreæ, mandamus, vt cogitent, hæc ipsa conuiuia & has choreas honestæ disciplinæ causa concedi, vt reuerentiam & modestiam in colloquijs & in omni gestu iuniores discant. Quare seuerè puniemus insulſè tumultuantes in talibus congressibus, ac præcipue eos, qui in choreis immodesti sunt, & qui puellas in gyrum ducunt extra communem harmoniam modestiæ saltationis.

OCTAVA.

Scimus multos pauperes Scholasticos duriter viuire, qui se diuina consolatione sustentent, in qua filius
Dei